

BERNARDVS G. PENOTVS A  
PORTV, &c. CANDIDO LECTORI SPI-  
ritum fynceritatis, intellectus & folertis laboris  
cum falute precatur.

**N**ON defore multos (candide lector) fat scio,  
quibus hujus libelli editio nova videri possit,  
quiq; *Mysteriorum natura secretorumq; the-  
sauri publicationem damnaturi sint.* Illud  
*Evangelij occinentes: Nolite margaritas porcis proyce-  
re.* Item illud *Auctoris: Non tamen hac commune omni-  
bus, sed nobis solis nostrisq; scribimus, à communi autem  
plebe nuroq; forti, seraq; firma secludimus.* Alij nō qui-  
dem prorsus id arguent, sed tempus nondum venisse, quo  
talia publicari debeant, asserēt. Reperiuntur dubio pro-  
cul & nōnulli (prout hodie infinitū maledicendi cacoe-  
thes est) qui mihi, quo jure *Mysteria* hæc pandā, cū eo-  
rum auctor non sim, objecturi sint. Alij deniq; signa pos-  
cent, quibus artem veram esse, ut mihi credatur, pro-  
bem: Scio, scio inquam & expertus sum ipse, dum hæc  
ederentur, fuisse quosdam adeo nasutos, adeo veterato-  
res, adeoq; omni humanite exutos cinicos, ut quacunq;  
ratione poterant editionem impedirent: Et nunc pluri-  
mum obloquentes, latrare non desistunt. Verum cum eo-  
rum latratus præter rationem insanire videam, nihi-  
li faciendos esse ipse censeo. Magna certe laus est, tanta  
erga Deum ac proximum duci pietate, ut neque Dei  
maiestati in suis magnalibus, dum publicarentur, de-  
trahatur quicquam: neque proximi bonis, quæ vel oc-  
cultando supprimi, vel sinistre interpretando impedi-  
ri, aut certe negligenter edendo perturbari potuis-  
sent, ulla in parte inuideatur. Sed ne longus vide-  
ar inscribendo, primo latratui respondeo. Nam quod ex  
*Evangelio* proferunt id in eum sensum trahunt, ac si soli  
ipse

Areana  
pandere  
haud con-  
tra Deum,  
aut proxi-  
mum esse.

ipse